

II. Jura non determinant ætatem requisitam pro novitiatu; rationi consentaneum est novitios ea ætate admitti ut, expleto temporis spatio requisito, profiteri valeant; unde S. Congregatio non semel declaravit illos non admittendos regulariter fore ante annum decimum quintum.

Decretum concilii Tridentini supponit novitios induere habitum proprium ordinis in quo profiteri intendunt, sive habitus ille sit communis professis et novitiis, sive specialis. « In quacumque religione tam virorum quam mulierum, professio non fiat ante decimum sextum annum; nec qui minori tempore quam per annum *post susceptum habitum* in probatione steterit, ad professionem admittatur. » Plures quidem negant id stricto jure requiri, et in suæ opinionis patrocinium adducunt praxim religiosorum Angliæ, Hiberniæ, aliarumque regionum sub ditione principis hæretici, qui suos novitios probant in habitu sæculari; sed longe communior est sententia affirmans, quæ potissimum innititur textu allato concilii Tridentini, in quo supponitur postulantiem non censi suum novitiatum inchoasse nisi a die suscepti habitus. Ratio suadet rem non aliter statuendam; nam gestatio habitus est austeritas quædam vitæ quæ inter probationis experimenta optimo jure reputatur: est insuper medium valde conveniens novitium removendi a sæcularibus affectibus, atque ad statum religiosum disponendi. Habitus ordinis non parum inservit, si novitius illum sicuti oportet gestaverit, ad fovendum interius, exteriusque manifestandum ingenium religiosi instituti. Excipe tamen, si aliter determinetur in statutis, vel requirat necessitas locorum; unde non probant exempla allata contra legem generalem.

III. Novitiatus perfici valide non potest extra monasterium ordinis quem novitius vult profiteri; et valde expedit ut sit domus ad hoc speciali designatione destinata, in qua scilicet novitii recludentur, seorsim ab aliis religiosis. Necessè est enim ut ordo mores novitii experiatur, et vicissim ut novitius expe-

riatur disciplinam ordinis, quod utrumque non obtinebitur sufficienter, nisi probatio fiat in domo ordinis, et in consortio quorundam religiosorum qui novitiorum cultui atque educationi sint specialiter addicti. Præterea, Clemens VIII, Const. *Regularis disciplinæ* pro educatione novitiorum, an. 1596, præcepit omnibus Prælatibus regularibus conventuum intra Italiam et insularum adjacentium fines constitutorum, ut de cætero neminem, sub quovis prætextu, ad habitum regularem admittant nisi in conventibus auctoritate apostolica designandis, quod sub pœna nullitatis decrevit. Hæc decreta S. Congregatio Regularium ad plures alios ordines extra Italiam extendit, non quidem ulla constitutione generali edita, sed per modum præcepti particularis. Unumquodque institutum stare debet regulis sibi præfixis a Sancta Sede, aut suis statutis peculiaribus; nihil enim tantum refert ad ordinem religiosum, quam ut novitii sedula cura instituantur, informenturque disciplina, moribus et traditionibus sui instituti.

IV. Novitiatus perdurare debet regulariter per annum integrum et continuum, ita statuente concilio Tridentino, *nec minori tempore quam per annum...* Quod stricte intelligendum censent communius canonistæ, adeo ut non valeat professio, si vel una hora defecerit; v. g., si quis vota emittat anno subsequenti eodem die suscepti habitus, sed ante duas vel unam horam. Ratio est quod jura omnino præscribant non admittendos esse novitios ad professionem ante *annum elapsum*, uti legitur in cap. *Non solum*, 2, DE REGULARIBUS, in vi<sup>o</sup>; annus autem non est elapsus nisi ultimum momentum diei supremæ excesserit. Novitius cui vel una hora defecit, *minori tempore* quam per annum stetit in probatione, quod districte prohibuit concilium Tridentinum. Nec dicatur diem incæptum pro completo haberi in favorabilibus; nam in præsentī materia, favor tum novitii, tum religionis, potius expetit ut nullum instans alterutri præripiatur. Favor est novitio, ut anno integro probet onera et labores religionis, et de ejusdem obligationibus instrua-

tur ; favor vero religioni, ut probet mores novitii, qui cum est professioni proximior, solet magis experiri utrum vero zelo, an humano affectu, statum religiosum elegerit <sup>1</sup>.

Annus probationis continuus sit oportet ; nam ubi jura certi temporis mentionem faciunt, intelligi debent de tempore continuo. Regula eo magis urget, quod integritas anni novitiatus valde prosit ad probandam novitii firmam perseverantemque dispositionem. Hinc S. Congregatio censuit novitium qui a monasterio, ut aliam religionem ingrederetur, abierat, ac duas tantum horas in alio conventu moram traxerat, et facti deinde pœnitens reversus fuerat, teneri incipere novum annum probationis. Non ita dicendum, si, cum superiorum licentia, familiam suam, negotiorum causa, adierit, vel si invitus retrahatur e monasterio et postea redeat ad consuetam exercitia suæ probationis. Ratio discriminis manifesta est. In priori casu, exitus cum dimissione habitus, animo religionem relinquendi, est abdicatio et desertio religionis ; quamobrem si novitius statum reassumat, novum annum incipere debet, nam adfuit interruptio moralis ; in secundo autem casu, novitius statum neutiquam dimisit ; remansit enim animo et reipsa sub sui Prælati disciplina. Supponimus licentiam dari ad tempus breve ; non expedit ut novitius qui, etiam ob causam rationabilem, puta ad rem familiarem, vel ad curandam infirmitatem, obtinuit licentiam versandi extra monasterium per plures menses, admittatur, peracto anno, ad professionem ; hoc alienum reputamus a mente concilii et SS. Pontificum, qui statuerunt integrum annum probationis agendum fore in domo ordinis quem novitius vult profiteri.

V. Expleto anno probationis, novitius admittitur ; vel, si non judicetur idoneus vitæ religiosæ, e monasterio dimittitur, adeo ut non liceat superiori, nequidem consentiente novitio, tempus probationis pro arbitrio prorogare. Ita statuit concilium Tridentinum : *Finito tempore novitiatus, superiores quos habiles*

<sup>1</sup> Cf. Matthæucci, *Officialis curiæ ecclesiasticæ*, cap. xxxiv, n<sup>o</sup> 2-14 — Fagnan, in cap. *Ad nostram*, DE REGULARIBUS, n<sup>o</sup> 10-54.

*invenerint novitios ad profitendum admittant ; aut e monasterio eos ejiciant.* Cap. xvi. Id tamen canonistæ interpretantur, subaudita conditione, si nulla subsit causa rationabilis prorogandi tempus, et in suæ interpretationis gratiam adducunt declarationes datas a S. Congregatione. Sensus est quod superior debeat, expleto tempore, admittere novitios sufficienter paratos, et dimittere quos invenerit non habiles ad vitam religiosam ; illos autem qui adhuc non inveniuntur dispositi, sed probabiliter, post certum tempus, futuri sunt habiles ad hunc statum, retinere valet, novi experimenti causa.

465. — II<sup>o</sup> *Utrum et quatenus novitii valeant sua bona patrimonialia, et beneficia ecclesiastica, abdicare ante professionem ?*

Concilium Tridentinum statuit : « Nulla renuntiatio, aut obligatio antea facta, etiam cum juramento, vel in favorem cujuscumque piæ causæ, valeat, nisi cum licentia Episcopi fiat intra duos menses proximos ante professionem ; ac non alias intelligatur effectum suum sortiri, nisi secuta professione ; aliter vero facta, etiamsi cum hujus favoris expressa renuntiatione, etiam jurata, sit irrita et nullius effectus. » Cap. xvi.

1<sup>o</sup> Decretum Tridentinum interpretantur communiter de donationibus et de renuntiationibus factis a novitio ; factis scilicet post inchoatum novitium, aut saltem postquam ingressus est monasterium, non vero de renuntiationibus quas fecisset antea. De hoc multum fuit olim disputatum ; at prævaluit explicatio data, quia conformis est sensui obvio verborum concilii, quæ debemus stricte interpretari.

2<sup>o</sup> Donationes non censentur interdictæ, nisi sint alicujus momenti relative ad bona novitii ; elemosynæ erogatæ pauperibus, et munuscula quibus non imminuitur fortuna, non subjacent decretis citatis.

3<sup>o</sup> S. Congregatio declaravit decretum Tridentinum non attingere dispositiones quæ fiunt per testamenta, siquidem

non afficiunt libertatem novitiorum. Quod ad dispositiones inter vivos, si novitii eas facere intenderint ob prævisam futuram professionem, suadendum putamus, non solum ut expectent tempus præfixum a concilio, scilicet intra duos menses proximos ante professionem, sed præterea ut donationes faciant sub conditione expressa, suspensiva aut resolutoria, professionis, ne in casu quo ad vitam sæcularem redierint, donatarii renuant reddere bona accepta; plerique enim, de viris sæcularibus loquimur, nullam rationem haberent decreti concilii, non reputando eam esse vim legum mere canonicarum ut irritare possint contractus civiles.

Canonistæ qui dispositiones juris romani et decretalium commentati sunt, dixerunt bona et jura novitii, qui ante suam professionem testamentum non condiderit, cedere monasterio, si ordo sit capax possidendi in communi. Hæc locum non habent apud nos; an alicubi adhuc vigeant, ignoramus. Verum opportune agunt qui ante professionem, ut in multis ordinibus mos est, de rebus suis per testamentum disponunt, cum plena adhuc libertate potiuntur.

4º Clericus beneficiatus non potest, inchoato semel novitiatu, sua beneficia resignare, nisi iisdem conditionibus quas concilium præscripsit pro aliis renuntiationibus bonorum temporalium; nec etiam per duos ultimos menses novitiatus, tenetur suum beneficium resignare: illud servare potest quoad usque professus fuerit. « Beneficium illius qui religionem « ingreditur, non est intra probationis annum alicui conferendum, nisi ad id ipsius accedat assensus, aut constet quod « professionem fecerit. » Cap. *Beneficium*, 4, DE REGULARIBUS, in viº.

5º Novitius egrediens e monasterio non tenetur conventum indemnem facere ab impensis sui causa factis, nisi id usu stipulatum censeatur, vel fraudulenter ingressus fuerit monasterium, absque seria intentione profitendi religionem. Sancta synodus præcepit « ut abeuntibus ante professionem omnia

« restituantur quæ sua erant. Quod ut recte fiat, Episcopus, « etiam per censuras ecclesiasticas, si opus fuerit, compellat. » 464. — *Quæ sint obligationes et jura novitiorum?*

1. Novitii non tenentur stricto jure servare regulas et præcepta communia ordinis religiosi: licet omnino deceat hæc servari. Non tenentur vi votorum, cum ea non emisissent; nec vi statutorum ordinis, quæ id juris solum superiori concedunt, ut suos novitios regere, instruere, ac delinquentes punire valeat, quod obtinet, etiamsi novitii non obligentur in conscientia.

Utrum vero superiores aliquid præcipere possint novitiis mandato particulari inducente obligationem strictam, et etiam comminatione censurarum, pendet a quæstione quam canonistæ diversimode resolvunt, scilicet, an superiores habeant veram jurisdictionem quasi episcopalem, tam in foro interno quam externo, in novitios. Plures hanc jurisdictionem denegant superioribus ordinum regularium. (Ferraris vº *Novitii*, nºs 11-15.) Alii jurisdictionem superiorum regularium in novitios tuerentur, præsertim si agatur de ordine religioso exempto; existimant id jure communi concedi, quatenus inclusum in jurisdictione generali qua superiores potiuntur ad regendam communitatem suam; unde concludunt prælatos regulares exemptos posse, respectu omnium suorum subditorum, ne exceptis novitiis quamdiu hi remanent in novitiatu, quod possunt Episcopi respectu suorum diocesanorum. (Schmalzgrueber, in tit. de REGULARIBUS, nºs 88, 89.)

Quid sentiendum in hac opinionum contrarietate, nobis dubium est; magis tamen inclinamur in opinionem negantem: 1º quia nullum argumentum positivum adducitur jurisdictionis quasi episcopalis prælati regularis in novitios; 2º quia supponenda non videtur jurisdictio in personam ita sponte sua subditam, ut pro arbitrio valeat se huic potestati subtrahere, deserendo novitiatum; 3º quia hæc potestas non est necessaria, cum abunde sufficiat potestas directiva, cum jure puniendi et

ejiciendi pervicacem, ad probandum utrum novitius conveniat religioni.

II. Novitii in favorabilibus sub nomine religiosorum comprehenduntur, et propterea gaudent privilegio *canonis*. Lucrantur indulgentias suo ordini concessas, et alia privilegia participant; sacramenta recipere possunt et a censuris absolvi a suis superioribus.

*Nota.* Regulæ quas modo exposuimus de tempore, loco, et conditionibus novitiatus, non attingunt, vi juris communis, nisi ordines in quibus fiunt vota solemnia. Verum plures congregationes votorum simplicium eandem disciplinam servant, conformiter ad sua statuta; aut etiam ad id fuerunt adductæ animadversionibus S. Congregationis Regularium, ut majori cura novitii disponerentur. Quo magis accedunt ad dispositiones juris communis, eo efficacius providetur prosperitati et stabilitati institutorum.

Item de his quæ dicta sunt de renuntiationibus et dispositionibus quas novitii facere possunt ad mentem concilii Tridentini. Multum quidem prodest ad libertatem votorum ut regulæ præscriptæ serventur in praxi, etiam a novitiis congregationis votorum simplicium; sed renuntiationes et donationes ab ipsis factæ, tempore novitiatus, non sunt irritæ, nisi factæ supponantur sub conditione resolutoria.

### § 5. De professione.

465. — 1º *Quid sit professio religiosa, et quotuplex distinguatur?*

Professio est emissio votorum quibus novitius, expleta probatione, in statu religioso admittitur.

I. Duplex distinguitur professio, si ad votorum conditionem attendamus: alia proprie et stricte sumpta, si emittantur vota solemnia: altera late sumpta, ac minus proprie, si vota sint

simplicia. Quando autem leges ecclesiasticæ de professione statuunt, intelligendæ sunt de emissionem votorum solemnium, eo magis quod vix alia emitterentur tunc temporis quo hæc leges condebantur.

Alia est distinctio professionis in expressam et tacitam, ratione habita modi quo vota fiunt. Est professio *expressa*, si verbo vel scriptis fiat; dicitur *tacita*, si absque voce et scriptis fiat, sed actibus quibusdam qui ex sua natura, seu ex more solito, censentur includere professionem quando ponuntur cum intentione profitendi: v. g., si novitius, expleto tempore novitiatus, gestet habitum proprium professis, suffragium ferat in capitulo, aliave id genus agat. Jus commune utrumque modum profitendi hucusque approbavit, tametsi professio explicita fuerit magis consueta.

466. — II. Ex decreto S. Congregationis regularium, lato die 19 martii, an. 1857, novitii ordinum religiosorum debent, peracto novitiatu, emittere vota tantummodo simplicia; deinde, post triennium a die quo hæc vota emiserint computandum, ad professionem votorum solemnium admittentur si digni reperiantur; nisi forte pro aliquibus institutis, quibus id indultum fuit, professio votorum simplicium ad longius tempus protrahatur.

Cum decretum nonnullis dubiis locum dederit circa naturam et qualitatem votorum, et circa obligationes ac jura illorum qui vota emiserunt, novæ prodierunt declarationes ex Secretaria S. Congregationis, 17 julii 1858, in hunc modum:

1º « Vota simplicia, de quibus agitur, perpetua erunt ex parte votantis, utpote quæ tendunt ad emittenda deinde « vota solemnia, in quibus perfectionem et complementum « accipient.

2º « Eorundem votorum simplicium dispensatio reservata est « Romano Pontifici, cui professi gravibus urgentibus causis « preces porrigere poterunt.

3º « Verum eadem simplicia vota solvi etiam possunt ex parte

« ordinis in actu dimissionis professorum, ita ut, data dimissionem, professi ab omni dictorum votorum vinculo et obligatione eo ipso liberi fiant.

4° « Facultas autem dimittendi professos votorum simplicium, de quibus agitur, spectat ad commissarium apostolicum ordinis cum suo consilio generali. Idem commissarius apostolicus cum suo generali consilio poterit in casibus extraordinariis, et præsertim pro regionibus et locis longinquis, ad dimissionem decernendam subdelegare religiosos probos et prudentes, qui saltem tres esse debent.

5° « Licet ad decernendam dimissionem, neque processus, neque iudicii forma requiratur, sed ad eam procedi possit sola facti veritate inspecta, tamen superiores procedere debent summa charitate, prudentia, et ex justis et rationabilibus causis, quacumque humana affectione remota; secus eorum conscientia graviter onerata remaneat. Nemo autem ex causa infirmitatis, post professionem votorum simplicium superventæ, dimitti poterit.

6° « Professi dictorum votorum simplicium participes erunt omnium gratiarum et privilegiorum, quibus professi votorum solemnium in memorato ordine legitime utuntur, fruuntur et gaudent.

7° « Superiores regulares, ad quos spectat, concedere poterunt huiusmodi professis litteras dimissorias duntaxat ad primam tonsuram et ad ordines minores, servatis tamen de jure servandis, et præsertim quæ circa ordinationes regularium ab Apostolica Sede præscripta sunt.

8° « Anni professionis, qui in dicto ordine requiruntur ut quis voce activa et passiva gaudeat, et ad officia admitti possit, a die emissionis votorum simplicium computantur; et professi votorum simplicium suffragium habeant in actis capitularibus sui conventus, quatenus et prout habent solemniter professi.

9° « Professi votorum simplicium dominium radicale, uti

« aiunt, suorum bonorum retinere poterunt; sed eis omnino interdicta est eorum administratio, et reddituum erogatio, atque usus. Debent propterea ante professionem votorum simplicium cedere, pro tempore quo in eadem votorum simplicium professione permanserint, administrationem, usufructum, et usum, quibus eis placuerit, ac etiam suo ordini, si ita pro eorum libitu existimaverint.

10° « Professi votorum simplicium remanere debent in domibus professoriis et studiorum, et vitam communem perfectam observare.

11° « Ad valide emittenda vota solemnia post vota simplicia, requiritur professio expressa, et ideo professio tacita omnino abrogata est.

« Hæc Sanctitas Sua statuit atque constituit, contrariis quibuscumque, etiam speciali mentione dignis, non obstantibus, quibus apostolica auctoritate derogat, ac derogatum esse declarat. »

Notare refert supra dictas declarationes non prodiisse e Sacra Congregatione in forma decreti generalis jus commune constituentis, sed datas fuisse singulatim ad preces commissariorum apostolicorum, pro variis ordinibus religiosis. Hinc concludendum videtur his declarationibus abrogari professionem tacitam, pro ordinibus et congregationibus quibus datæ sunt, et quidem solummodo quoad vota solemnia.

467. — II° *Quæ conditiones requirantur ut professio valide fiat?*

Quatuor conditiones requiruntur, nimirum: ut fiat a persona idonea, expleto novitiatu, libere, et assentiente superiore.

I. *A persona idonea*, id est, quæ habeat ætatem et alias dotes jure communi, vel statutis ordinis præfixas, et nullo impedimento irretiat.

Ætas requisita est annus decimus sextus expletus, qui a die et hora nativitatis computatur juxta principia tradita ubi de

novitiatu (n° 462). Professio antea facta est nulla, nullamque inducit obligationem ad alicujus regulæ observantiam, aut ad alios quoscumque effectus, ita statuente concilio Tridentino. Aliæ conditiones ad validitatem professionis requisitæ jure communi sunt : 1° baptismus ; 2° libertas a vinculo conjugali, sensu supra exposito ; 3° dispensatio seu licentia a S. Pontifice obtenta, si novitius munus habeat episcopale, etiamsi agatur de episcopatu titulari ; 4° libertas a vinculo præcedentis professionis in alia religione, nisi professus transeat ad ordinem strictioris observantiæ, servatis regulis ea de re constitutis jure communi, prout infra dicitur ; 5° immunitas ab excommunicatione, quæ reum criminis ab Ecclesia et a participatione bonorum communium separet. Si vero aliquis crimina etiam graviora perpetraverit, si ære alieno gravetur, vel obnoxius sit ratiociniis reddendis, valide nihilominus religionem profitetur, tametsi illicite. Clemens VIII, Const. *In suprema*, 2 april. 1602, moderatus est decreta Sixti V, quibus statuebatur nullam fore in his casibus professionem.

II. *Libere*. Coactio moralis, seu metus gravis, licet reverentialis, professionem invalidam reddit ; quia mens Ecclesiæ est ut vota religiosa sponte emittantur. « Nullus tondeatur, nisi in « legitima ætate et spontanea voluntate. » Cap. I, DE REGULARIBUS. Disciplina Tridentina certum argumentum suppeditat hæc intelligi de conditione omnino requisita, quandoquidem iis qui prætendunt se per vim, aut metum, adductos esse ad professionem, quinquennium concedit ad reclamandum contra validitatem votorum. Cæterum, canones agunt de metu gravi qui, licet non adimat libertatem jure naturali requisitam ad meritum aut demeritum morale actus humani, repugnantem tamen et quadamtenus invitum adigit ad professionem. Metus reverentialis quo filius, ex reverentia naturali parentibus debita, timet eos offendere, eo usque procedere potest, præsertim si concurrant periculosæ minæ, importunæ persuasiones, asperæ fractationes.

Concilium Tridentinum anathemati subjicit omnes et singulas personas, cujuscumque qualitatis vel conditionis fuerint, quæ « quomodocumque coegerint aliquam virginem, vel vi-  
« duam invitam ad ingrediendum monasterium, vel ad susci-  
« piendum habitum cujuscumque religionis, vel ad emittendam  
« professionem ; quique consilium, auxilium vel favorem de-  
« derint ; quique scientes eam non sponte ingredi monasterium,  
« aut habitum suscipere, aut professionem emittere, quoquo  
« modo eidem actui vel præsentiam, vel consensum, vel aucto-  
« ritatem interposuerint. Simili quoque anathemati subjicit eos  
« qui sanctam virginum vel aliarum mulierum voluntatem  
« voti accipiendi, vel voti emittendi, quoquomodo, sine justa  
« causa, impederint. » Cap. XVIII.

Hanc censuram excommunicationis, latæ sententiæ, incur-  
runt etiam parentes qui violenter cogunt, vel impediunt filias  
circa ingressum religionis ; ita tamen si verum metum adhibue-  
rint, secus si fuerit tantummodo metus reverentialis, qui limi-  
tes simplicis persuasionis non excesserit.

Ut sufficienter constet de libertate professionis, concilium  
statuit ut nulla novitia professionem ante emittat « quam explo-  
« raverit Episcopus, vel, eo absente vel impedito, ejus vicarius,  
« aut aliquis ab eis deputatus, virginis voluntatem diligenter,  
« an coacta, an seducta sit, an sciat quod agat ; et si ejus vo-  
« luntas pia et libera cognita fuerit... libere ei profiteri liceat. »  
Lex omnes conventus, etiam exemptos, attingit ; verbis enim  
absolutis enuntiatur. Præfecta monasterio debet Episcopum  
certiorem facere de futura professione ante mensem ; et ne diu-  
tius protrahatur, quindecim solummodo dies assignantur con-  
stitutione S. Pii V, intra quos dies examen peragi necesse est.  
Examen fieri debet ante crates, nisi sit ratio suspicandi ne  
puella instigetur a monialibus conventus ; quo casu Episcopus  
curabit novitiam inde adduci in ecclesiam exteriorem monas-  
terii, vel alium commodiorem et propinquiorem locum, ubi de  
voluntate puellæ inquirere possit.

*Nota*, 1° Examen ab Episcopo agendum pro objecto exclusive habet libertatem voluntatis puellæ; quamobrem si ad alia tendatur, puella non tenetur respondere. (Bulla Pii V, *Etsi mendicantium*, an. 1567.)

2° Si congregatio religiosa non habeat vota solemnia, aut nullam habeat exemptionem a jurisdictione episcopali, Episcopus non tenetur decreto allato; sed alia ipse pro officio præscribere potest, juxta ordinis institutum.

III. *Assentiente superiore*. Nulla professio, seu, expressa seu tacita, fieri potest aliter quam consentiente superiore ordinis, vel illo qui est delegatus juxta regulas instituti aut Indulto apostolico, ad acceptanda vota. Ratio est quod per professionem inducitur quasi-contractus inter religionem et religiosum, qui sibi mutuo spondent in futurum. Superior autem servare tenetur, in admittendo novitios ad professionem, regulas sui instituti: porro una e præcipuis regula est ut novitii professio approbetur consilio illorum quorum est ea de re deliberare.

468. — III° *Quos effectus producat professio religiosa?*

1° Professio religiosa inducit obligationem vota atque regulas instituti servandi, sensu infra explicando.

2° Extinguit vota ante facta, saltem quæ incompatibilia sunt cum obligationibus religionis. Attamen, si emittens professionem intenderet omnia sua vota commutare in votum religionis, id posset, quia « reus fracti voti aliquatenus non habetur, qui temporale obsequium in perpetuam noscitur « religionis observantiam commutare. » Cap. *Scripturæ*, 4, DE VOTO.

3° Solvit matrimonium ratum non consummatum, si sit professio stricte sumpta.

4° Dicitur insuper professionem remittere pœnam omnium peccatorum, quæ deleta sunt quoad culpam. S. Thomas id hæsitanter asserit 2<sup>a</sup> 2<sup>æ</sup> quæst. CLXXXIX, art. III, ad 5<sup>am</sup>. Suarez hoc veluti piam opinionem proponit lib. VI, cap. XIII, n° 4.

Hunc effectum professio per se operari non potest, sed tantum occasionaliter, vel supposita in vivo intense charitatis perfectæ quæ non semper reperitur; vel, supposito quod indulta sit a Sancta Sede indulgentia plenaria, quam reipsa indulsit pluribus etiam congregationibus quæ habent vota simplicia.

469. — IV° *Quid jure cavendum in casu professionis invalidæ?*

Professio, si forte invalide facta sit, aut rata habetur, aut nulla esse pronuntiatur: de alterutro quædam notare necesse est.

I. Religiosus ratam habere potest suam professionem, si defectus fuerit ex sua parte, et impedimentum sublatum sit; v. g. si ætatem attigerit, si novum consensum præstet in locum prioris quem invitus dederat, etc.

Ad illam ratihabitionem minime necessarium est novam accedere superioris acceptionem, nisi superior, cognita nullitate, suum consensum revocaverit, quia consensus semel datus perseverare censetur; nec requiruntur de novo cæremoniæ professionis, etiam in religionibus in quibus abrogata est professio tacita, si tamen occulta sit nullitas prioris professionis.

Oportet ut religiosus noverit suam primam professionem fuisse invalidam; quia sicut ad profitendum, ita ad ratihabendam professionem requiritur consensus profitentis: « Atqui « ignorantis nullus est consensus, cum ignoti nulla voluntas, nec « aliquid magis contrarium sit consensui quam error. » Verba sunt Reiffenstuel, qui concludit renovationes votorum, quas, ex more sui instituti, faciunt sæpe religiosi, aliosve actus qui tacite hanc renovationem inducunt, non sufficere quamdiu iidem religiosi ignorant nullitatem suæ professionis, nisi ea sint mente ut velint vota confirmare, etsi ab initio, ex quacumque causa, sua professio invalida fuerit. (DE REGULARIBUS, n<sup>is</sup> 215-216. Ferraris, v° *Professio regularis*, n° 86.)

II. Si religiosus nolit ratam habere suam professionem,

inducetur actio nullitatis, juxta formam canonibus præscriptam : quod simili jure intelligas de casu quo superior ordinis non vult confirmare professionem religiosi.

1<sup>o</sup> Hæc statuit concilium Tridentinum : « Quicumque regularis prætendat se per vim et metum ingressum esse religionem, aut etiam dicat ante ætatem debitam professum fuisse, aut quid simile, velitque habitum dimittere quacunque de causa, aut etiam cum habitu discedere sine licentia superiorum, non audiatur nisi intra quinquennium tantum a die professionis, et tunc non aliter, nisi causas quas prætendit, deduxerit coram suo superiore et Ordinario. » Sess. xxv, cap. xix.

Licet in decreto mentio fiat virorum regularium duntaxat, nihilominus etiam moniales comprehenduntur, cum masculinum genus includat fœmineum, ait Bened. XIV, ubi una eademque causa pro fœminis et pro viris militat.

Insuper, quamvis decretum statuatur de regulari professore, et nihil expresse declaretur de ipsa religione cujus aliquando interest alumni sui professionem irritam decerni, certum est causas hujusmodi super nullitate professionis, tam a religione quam a regulari professore, intra quinquennium deductas, ab iisdem iudicibus esse cognoscendas.

Observandum denique venit concilium voluisse quinquennium computari a die professionis, quod stricta interpretatione sumitur, etiam in casu quo causa prætensa nullitatis, puta metus, per totum quinquennium perseveraverit : quapropter non a die quo causa cessavit, sed a die emissionis votorum currit tempus concessum pro introductione processus. Quod si elapso tempore partes velint causam introduci, ipsis necesse est recurrere ad S. Sedem, ut ab ea obtineant *restitutionem in integrum*. Hoc remedio conceditur facultas iudicibus inferioribus causam cognoscendi.

2<sup>o</sup> Iudex super validitate professionis religiosæ est Ordinarius loci cum superiore regulari monasterii in quo recla-

mans emisit professionem, si agatur de regularibus exemptis : est Ordinarius solus, si agatur de religiosis suæ jurisdictioni immediate subjectis. Uterque simul, per se aut per delegatum, iudicis partes habent; et, si forte discrepantia iudicia dederint, causa ad Apostolicam Sedem devoluta censeatur. Si professio invalida iudicetur, res defertur ad iudicem superiorem, servato ordine hierarchiæ; scilicet ad metropolitanum et ad alium superiorem regularem, non quidem monasterii ubi facta fuit professio, sed alterius ejusdem instituti, in civitate vel diœcesi existentis; vel, eo non existente, ad superiorem viciniore monasterii ejusdem ordinis, seu personam ecclesiasticam cui vices suas superior ille commiserit.

3<sup>o</sup> Regulas in processu servandas determinat Constitutio Bened. XIV *Si datam*, 1748, ad mentem decreti conc. Trident. mox citati. Ante omnia necessum est regularem qui contra suam professionem reclamatur, in suæ religionis monasterio morari, et habitum reassumere, si eum deposuerit: alioquin repellatur postulatio. — Iudex non debet suam sententiam fundare in attestationibus extra-judicialibus quantumvis juramento firmatis, sed conficere processum iudicalem, in quo et articuli exhibeantur ex parte illius qui contra professionem agit, et interrogatoria dentur ab ea parte quæ stat pro professione, et testes examinentur, vocatis omnibus quorum interest. — Ordinarius mandatur ut constituat in sua diœcesi personam idoneam, doctam æque ac prudentem, quæ munus expleat *defensoris professionis*. — Si pronuntietur pro validitate, et nec professus, nec religio, interponat appellationem, causa finita est; si vero pronuntietur pro nullitate, defensor professionis appellare debet ab illa sententia, et omnia de novo servantur in secunda causæ revisione, quæ in prima instantia observata sunt; adeo ut nullatenus liceat regulari a religione migrari, nisi duas sententias conformes obtinuerit, quibus professio nulla et irrita declaretur. — Quando, elapso quinquennio, habetur a S. Sede *restitutio in integrum*, causa per iudicem ordinarium exami-



natur eodem prorsus modo, et duplex item sententia debet intervenire.

470. — Quid si regularis certo sciat coram Deo professionem suam esse nullam, sed probare nequeat in foro externo? Poteritne, si nolit suam professionem confirmare, dimittere statum religiosum et redire ad sæcularia?

Quæstio nobis videtur valde difficilis. Concilium Tridentinum voluit modum ac terminum præfinire litigiis dissidiisque inter regulares et suos superiores occasione nullitatis professionis, ne subditi prætendentes se nulliter esse professos contemnunt jussa superiorum, quando superiores enituntur illos cohibere sub disciplina sui ordinis: porro timendum est ne decreta finem intentum non attingant, si liceat subditis, etiam elapso quinquennio, propria auctoritate habitum religionis deserere, tutaque conscientia redire ad sæculum. Hinc nonnulli concludunt concilium præcipere voluisse regularibus ut remaneant in suo monasterio, taciteque firment suam professionem, quoties, ob qualemcumque causam, non potuerunt probare. (Conf. Fagnan, qui hoc argumentum late prosequitur in cap. *Si quis*, n<sup>is</sup> 19-81 DE REGULARIBUS.) Contrariam opinionem propugnant communius canonistæ, et dicunt regularem non teneri suam professionem confirmare, nec manere in religione, sed posse tuta conscientia discedere, dummodo sine gravi scandalo, aut alio majori incommodo ac præjudicio, abire possit. Rationem sui asserti afferunt quod professio religiosa sit opus consilii ad quod nemo invitus cogitur: ad decretum autem concilii respondent, concilium non adigere ad professionem, nec eam validam reddere, sed præsumere regularem ab initio valide fuisse professum, quæ præsumptio in foro conscientia cedit veritati. (Reiffenstuel, n<sup>is</sup> 205-209. Schmalzgrueber, n<sup>is</sup> 204, 205, Ferraris v<sup>o</sup> *Professio regul.*, n<sup>is</sup> 81, 82. Billuart, dissertat., IV, art. IV, §2.)

Non dubitamus quin Ecclesia potuerit obligare regulares ad manendum in religione, non obstante nullitate professionis, ut

vitetur scandalum et præcaveatur periculum grave disciplinae. Quod vero id reipsa voluerit, isque sit sensus decreti concilii, maxime nobis dubium videtur, et si eligenda esset opinio, magis inclinaremur in sententiam canonistarum qui arbitrantur dari nulliter professis libertatem, in foro interno, derelinquendi statum religiosum, positis tamen conditionibus supra indicatis, quibus præcaveatur scandalum, aut aliud majus incommodum. Tria nos potissimum movent: 1<sup>o</sup> Decretum concilii nititur præsumptione facti; 2<sup>o</sup> etsi non excedat limites jurisdictionis ecclesiasticæ ut invitum adigat ad professionem, id tamen nunquam censetur facere, nisi certe constet de sua voluntate; nam professio religiosa requirit consensum spontaneum; 3<sup>o</sup> eo minus constat de voluntate Ecclesiæ quod canonistæ per plures, magni quidem nominis, decretum Tridentinum interpretentur juxta sensum faventem libertati. Est igitur grave dubium juris, et proinde licet unicuique sequi opinionem quam magis fundatam reputaverit. — Cæterum perraro continget adesse conditiones necessarias, ut religiosus hac libertate uti valeat.

#### ARTICULUS V. — DE OBLIGATIONIBUS STATUS RELIGIOSI.

Exponendum venit quæ obligationes sequantur ex emissionem votorum; quas insuper obligationes Ecclesia imposuerit professis vitam religiosam; quomodo immutari, imo cessare possint illæ obligationes.

##### § 1. Quæ obligationes sequantur ex votis status religiosi.

##### 471. — I<sup>o</sup> Ad quid obliget votum castitatis?

Votum castitatis, sive solemne, sive simplex supponatur, prohibet omnes actus, cum externos tum internos, contra sextum præceptum Decalogi; nam juxta mentem ac disciplinam Ecclesiæ, religiosi vovent castitatem, qualis jure naturali præ-